
DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

10
DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subicit

ANDREAS GRIEVES,

SCOTUS,

Legionis Britannicae 53^{tiae} Chirurgus.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCII.

Viro illustrissimo

A R C H I B A L D O H O P E

D E P I N K E Y,

B A R O N E T T O,

Quem benevolentia ingenita,

Integritasque totius vitae intemerata,

Merito nobilitarunt, et omnibus,

Quibus eum novisse contigerit,

Carum acceptumque reddiderunt ;

Hanc dissertationem medicam inauguralem,

Ut monumentum exiguum animi ejus amicitiae,

Quam in sese constanter demonstraverit,

Minime immemoris,

Ea, qua par est,

Observantia,

D. D. CQUE

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

Auct. A. GRIEVE.

QUONIAM de omnibus fere morbis jam copiosissime tractatum est, in inauguralibus et aliis dissertationibus; ideo sequitur, omnes res hucusque cognitae jam iterum atque iterum esse prolatae. Oportet igitur candidatum lauri Apollinaris animum suum attendere ad aliquod argumenti, in quo experimenta elici et

A

in

2 DE RHEUMATISMO ACUTO.

in lucem edi quaedam nova et utilia possint. Sed tempus mihi non suppetit ad quodlibet hujusmodi aggrediendum. In seligendo igitur aliquo ex argumentis multum elaboratis, statui pauca differere de rheumatismo acuto, morbo qui plurimum molestiae faceffit hominibus, praefertim in hac nostra, atque aliis regionibus, ubi mutationes coeli valde frequentes sunt. Donec igitur asseri potest, naturam et curationem hujusce morbi quam perfectissime intelligi, optimo jure omnium attentionem medicorum sibi vindicat. Ex aliis acutis et longis morbis, qui mihi, quatuordecim annos apud exercitum Britannicum medicinam facienti, saepe semet ostenderunt, nullus fere morbus est rheumatismo frequentior, nec cujus sequelae horrendae difficilius praeveniri possunt. Quamvis igitur multam lucem theoriae hujus morbi me offusurum esse, non audeo sperare; tamen mihi visum est de ratione medendi pauca tradere, quae ex experimentis didici ad sequelas ejus praecavendas

haud

haud parum conferre. Inter omnes convenit, rheumatismum ad genus Phlegmasiarum pertinere. Bottalus fuit primus, qui sanguinis de- tractionem utilem esse contendit, et ea morbum, nonnullis in exemplis, felicissime depulit. Ante eum, nulla descriptio accurata a medicis tradita fuit, qui eum cum arthritide, fluxione, defluxione, scorbuto, et catarrho, semper confudisse videntur. Ballonius, medicus Parisiensis, ex ob- scuritate, qua diu involutus fuit, hunc morbum tandem eripuit, et diagnosin hunc inter et ca- tarrhum, et podagram, satis accurate instituit. Scripta Riverii et Sydenhami super hoc morbo valde utilia fuerunt; et postremo celebris Cul- lenus edidit multa utilissima de natura ejus et curatione. Definitioni ejus aequae eleganti ac perspicuae lubentissime assentior.

D E F I N I T I O.

‘ Morbus ab externa, et plerumque evidente
 ‘ causa;

4 DE RHEUMATISMO ACUTO.

‘ causa ; pyrexia ; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum, articulos infestans, calore externo auctus.’

ENARRATIO SYMPTOMATUM.

Rheumatismum eos, qui frigidas incolunt regiones, ubi coelum simul variabile est, quam qui calidas, saepius invadere, omnes auctores uno ore contendunt. Impetum in mortales usitatissime facit autumnalibus vernisque temporibus ; sed, quolibet anni tempore potest infestare, causis praedisponentibus excitantibusque satis potentibus.

Febre semper aegrotus afficitur ; sed dolores saepius in certis partibus prius sentiuntur, quam ulla febris signa apparent. Morbum imprimis insigniunt

infigniunt dolores majorum artuum, praesertim humeri, carpi, &c.; at coxas, talos, et genua potissimum excruciant. Hos artus solos plerumque, sed partes musculares quoque nonnunquam, invadunt. Creberrime, secundum musculorum decursum, per apaneurosin tendineam, ab uno artu ad alium, rapide semet extendunt; sed plerumque sic progrediuntur. Remittunt in una junctura, in alia intenduntur. Sic ab una ad aliam migrant, vicissim alternantes, et partem prius affectam iterum iterumque revivunt. Quanquam morbus, una corporis parte tantum interdum continetur; multas tamen admodum frequenter exercet. Rebus ita se habentibus, a rigore et horrore incipit, quos protinus excipiunt reliqua pyrexiae signa, praesertim ictus arteriarum frequentes, pleni, et duri. His saepius superveniunt vertigo, dolor capitis, facies turgida, et oculorum sensibilitas exquisita. Febris signa noctu ingravescent; et dolores, stragulorum calore adaucti, aegrotum, sese quantumcunque

6 DE RHEUMATISMO ACUTO.

tulumcunque huc ulluc leviter etiam moventem, excruciant. Postquam artus dolore aliquamdiu fuit tentatus, plerumque quoque rubescit, et tumescit. Hinc violentia quoque dolorum, qui nunc non tam facile sedem mutant, multum diminuitur; sed morbus hoc modo raro ex toto depellitur. Interdum quoque sudores, initio morbi, erumpunt; sed nec totam cutem humectant, nec acerbos dolores, quibus infestatur aegrotus, leviores reddunt. Urina, sub morbi initium, subrubro est colore; nihil vero sedimenti, febre nondum multum remissa, subsidere consuevit. Alvus plerumque adstricta est. Sanguis, incipiente rheumatismo, missus, fere semper eadem crusta coriacea obiectus est, ac in omnibus aliis morbis, qui ad genus Phlegmasiarum pertinent. Quamvis hic affectus, naturam inflammationis revera habet; in suppurationem tamen raro desinit. Morbus quidem, ut humor pellucidus gelatinosus in vaginas tendinum effundatur, aliquando facit. Hic, secundum observationem

fervationem celebris Culleni, plerumque absorbetur; his vero tumoribus, postquam diu perstiterunt, incisus, saepe offendi humorem quodammodo coagulatum. Caeterum, fetaceo secundum tendinum longitudinem inferto, id difficultatis in morbo curando, cujus mentionem fecit Stork, nunquam expertus sum. Saepius accidit, ut, signis febrilibus cessantibus, et simul tumore juncturarum et rubore diminutis, dolores tandem varias partes, lumbos praecipue et coxas, vexare pergant. Rigescunt, eodem tempore, partes affectae, frigidae fiunt et arescunt. Morbus, ex hoc tempore, rheumatismus chronicus appellatur. Huic affectui, pro variis, quas occupat, partibus, diversa nomina fuerunt imposita; cum lumbos, aut os sacrum afficit, lumbago nuncupatur, &c. Hae autem distinctiones nullius mihi videntur esse momenti; propterea, quod morbus unam et eandem causam fere semper agnoscit, et, pro natura solummodo partis affectae, differt.

D I A G N O S I S.

Cum medici facilius in errorem de natura morbi, quam de via eidem ab aliis rite distincto medendi, incidere periclitentur, unicuique in hoc defudandum et elaborandum est, ut morbum, quem depellere cenaturus sit, ab omni alio accurate prius fecernat, quam curationem ejus sibi suscipit—‘ Sine hac scientia, nulla stabilis
 ‘ institui potest prognosis vel therapeia, et me-
 ‘ dicus adstantibus saepe ludibrio erit *.’ Praecipui morbi, quibus cum rheumatismo acuto est ulla fere similitudo, sunt podagra, syphilis, scorbutus, et quidam dolores, qui vulgo nervosi appellantur. Si signa autem singulis horum propria attente considerabimus, discrimina vera, quae

* Clar. Home Princ. Med. par. 2. sect. X.

quae eos inter et rheumatismum intercedunt, sine magna difficultate reperientur.

I. Non parum similitudinis rheumatismum inter et podagram evidenter intercedit. Satis certo tamen dignosci possunt; namque plurimis, iisque minime obscuris, inter sese differunt. Primum autem discrimen a causis, unde proficiantur, petendum. Rheumatismus a causa externa, et plerumque evidente, nempe frigore et humiditate, oritur; affectiones quaedam, contra, partium internarum, praecipue ventriculi, velut concoctio prava, flatus, ructus acidi, aliquando insipidi, cum variis functionum debilitatarum signis, podagram venturam praecedunt. Symptomata haec, paroxysmo appropinquante, evanescent, et in functiones omnes diffunditur vigor insolitus, et systematis totius tonus plurimum auctus evadit. Temperamentum plethoricum rheumatismo praecipue obnoxium est, et mortales, eo vitae tempore, quo functiones uni-

verfae, et animales et vitales, fummo vigore peraguntur, invadit. Temperamento fanguineo praeditos, contra, vel nondum ultra trigefimum quintum aetatis annum provectos, raro corripit podagra. Rheumatifmus minime periodicus eft. Podagra certos circuitus habet. Rheumatifmus mares, foeminas, et eunuchos infestat ; fed faepius foeminas. Vir clarus Dr Home, praxi fua in Noſocomio regio Edinenſi edoctus, notavit, foeminas, quae in Rheumatifmum incidunt, quantum ad numerum ſpectat, mares plus, quam 3 1, excedere. Hoc negligentiae illarum, dum proveniunt menſtrua, quo tempore ſyſtemata muliebria cauſis excitantibus facillime afficiuntur, tribuendum putat. Sexus amabilis, antequam provenire ceſſant menſtrua, et eunuchi a podagra, maxima ex parte, immunes ſunt. Rheumatifmus artus majores, rariffime minores, et ſuperiores faepius, quam inferiores, occupat, et mirabilem ad migrandum ex alio in alium locum proclivitatem oftendit. Hoc vero

notabile

notabile est, quod locus, unde dolor alio translatus est, minus, quam in podagra, levatur. Notatu etiam dignum videtur, quod tam late aliquando diffunditur rheumatismus, ut, quae nam pars dolore potissimum afficiatur, dicere nequeat aegrotus. Podagra, contra, minores inferioresque artus corripit, et uno, ut pollice pedis, saepe circumscribitur. Cum podagra locum mutat, articulum alterius lateris respondentem petit; sed rheumatismus ad alteram corporis extremitatem plerumque migrat. Praeter notas ad rheumatismum a podagra distinguendum allatas, aliae complures, hoc in loco, si opus esset, memorari possent; sed, his jam recensitis fatis cognitis animadversisque, duo hi morbi, unus ab altero, fatis internoscentur.

II. Rheumatismus acutus, a lue venerea, eo discernitur, quod, hac praesente, dolores altius fixi, et in mediis ossium partibus insidentes, aegrotum infestant; dum, urgente illo, dolores in
extremis

extremis corporis partibus sedem habent; et cursum secundum musculos tenentes extrema ossa, praesertim ad artus crassiores, infestissime occupant. Praeterea, quodocunque dolores morbi venerei proles sunt, alia ejus morbi signa aut praecesserunt aut subsunt, unde, qualis origo dolorum sit, conjicere possumus.

III. Quantum scorbutum spectat, hunc a rheumatismo satis evidenter secernunt ictus arteriarum debiles et inaequales, gingivae putridae, crura tumefacta, maculae lividae, et profusiones sanguineae variae, quae scorbuto nunquam defunt. His vero omnibus destituuntur dolores, qui a rheumatismo profluunt.

IV. Dolores, qui vulgo nervosi appellantur, ab iis, qui rheumatismi comites sunt, possunt fecerni; quod alia signa nervosa illis plerumque accedunt. Rheumatismus chronicus haud raro

acuti

acuti sequela est. Potius vero de modo ei occurrendi, quam de curatione, agere decrevi.

CAUSAE REMOTAE.

In omnes, cujuscunque sint aetatis, sexus, aut temperamenti, causis excitantibus fatis potentibus applicatis, invadere potest rheumatismus. Quaedam tamen singularia sunt, quae faciunt, ut unus hoc morbo corripiatur, dum alter ab eo liber manet. Causae remotae in eas, quae homines ad morbum proclives efficiunt, et in eas quae eundem excitant, dividi possunt. Omnes inter causas, quibus rheumatismus excitatur, frigus ad partes corporis singulares admotum, variante simul coelo, longe aliis potentius est. Mihi non liquet, utrum vices frigoris et caloris, universo corpori admotae, causam hujusce morbi necne praebeant. Exempli gratia, apud inco-

14 DE RHEUMATISMO ACUTO.

las regionum valde frigidarum, qui in cubiculis, ad gradum thermometri Fahrenheit. 65 vel 70 usque calefactis, degunt, quique in apertum aëra, adeo frigidum, ut thermometrum 10 aut 15 gradum infra 0 indicaret, saepe prodire coguntur, rheumatismus minime frequens est. Quinetiam notari debet, eos incolas, quum in publicum prodeunt iterve faciunt, paucioribus vestimentis, quam nostrates, uti solere. Huic forsitan objici potest, eos talibus, ab initio vitae usque, affuetos esse, et igitur tutos fore, dum peregrini ei facillime succumberent. Hoc vero nequaquam incidit; nisi is, humiditate stipatus, ad aliquam partem corporis singularem adspirare permittetur; quod, me iudice, rheumatismi fere semper sola causa excitans est. Proximum est, ut de causis, quae homines ad morbum proclives efficiunt, dicam. Eae sunt, ut Gregorius jure celeberrimus inquit, ‘ Quae corpus tantum morbo opportunum reddunt; scilicet, ut, admota causa excitante, in morbum incidat*.’

‘ dat*.’ In rheumatismum ii, caeteris paribus, multo facilius incidunt, quibus habitus est corporis sanguineus plenusque, qui vitam inertem defidemque agunt, qui venerem nimis assidue studioseque colunt, qui nimio cibo et diaeta lautiore utuntur, somno nimio, caeterisque vires imminuentibus, dediti. Quinetiam evacuationes usitatae diminutae, vel omnino suppressae, ad hunc morbum movendum faciunt. Praeterea, alia adhuc dantur, quae, systema mobilius reddendo, hujusce morbi accessioni favere notantur. Effectum hujuscemodi edere humorum profusiones omnes adauctae, morbi, quotquot aegrum saepius infestant, et status convalescendi videntur. Constat enim, hos, qui sanitati, post morbum diuturnum, nuper fuerunt restituti, ad plenitudinem morbidam, et igitur ad rheumatismum, esse pronos. Cubicula calidiora, usus etiam lavationis calidae nimis frequens, et potus tepidi

* Vide Conspect. Med. Theor. § 39.

tepidi ingurgitatio nimia, idem praestare possunt, Tonica etiam medicamenta, diu continuata, ad irritabilitatem systematis augendam faciunt. Habitu debilem, mobilem, et irritabilem, qui causis nocentibus applicatis minime resistere valet, prognerando, evidentissime agunt causae modo comprehensae.

CAUSA PROXIMA.

Nulla, uti credo, artis Hippocraticae pars est, quae majore obscuritate, quam causae morborum proximae, est involuta. Alii alia de causa rheumatismi proxima senserunt. Quantum ad memetipsum attinet, meam hujusce rei ignorantiam plane confiteor. Si conjecturam meram vero liceat proferre, mihi verisimile videtur, acutum rheumatismum non a valido et robusto fibrarum muscutorum statu, uti nonnulli volunt, pendere.

pendere. Contra, ex iis, quae enumerata sunt, ut causae, quae homines ad hunc morbum proclives reddunt, constare videtur, arctissimum nexum rheumatismum acutum inter et statum corporis plenum, laxum, et mobilem, intercedere. Igitur poni potest, conditionem hujusmodi contractioni fibrarum muscularium, et constrictioni vasorum sanguiferorum circumscriptae topicaeque favere; et hanc constrictionem in parte vasorum sanguine admodum distensorum singulari tensionem partium contiguarum, praeter naturam, facere; et, denique, ob hanc et contractionem fibrarum muscularium circumscriptam, nervos partibus proprios aliqua ex parte parumque regulariter distendi posse, unde phaenomenon doloris in rheumatismo a loco certo ad alteram corporis extremitatem subito migrantis mirandum incidere potest. In exemplis trismi et spasmi effectum contractionis fibrarum muscularium circumscriptae et abnormis plane videmus. Sensus doloris sentitur, u-

bi revera non existit, ut in digitis pedis olim amputati. Minime igitur mirandum est, dolores in rheumatismo sympatheticos esse tam numerosos et mutabiles; vel affectus veros in partibus diversis corporis ad constrictionem spasmodicam multum proclivibus moveri posse. E supra dictis facile judicare possumus, cur applicata calida, sanguinem magis rarefaciendo, quam partes contractas relaxando, tensionem abnormem, quam nervis et fibris muscularibus inesse posui, adaugeant, et dolorem graviolem efficiant. Vis medicatrix, modo ab ingenioso Culeno tam plene descripto, constrictiones loco proprias superandi excitatur. Hinc proficiscuntur omnia signa febrilia, rubor partium, et, ad extremum, earundem tumor. Illic autem, utpote qui constrictionem solutam esse significet, remissione doloris non modica stipatur.

Theorias acrimoniae et lentoris sanguinis, ut causarum rheumatismi, silentio praetereundas duco;

duco ; quoniam notiones hujuscemodi a Cullenno aliisque, me judice, fatis superque refutatae fuerunt.

P R O G N O S I S.

Ab experientia pro certo discimus, rheumatismi finem raro funestum evadere ; tamen haud desunt, ubi eventus infaustus fuit, exempla. Hoc cum accidit, fere semper stipatur aliis morbis, ut typho, &c. Medicamentis saepe difficillime paret, et perperam curatus haud raro in rheumatismum chronicum, et varias diras affectiones, ut paralyfin immedicabilem, desinit, et juncturae anchylosin, &c. generat. Caput interdum, et pulmones etiam corripere dicitur ; et, hanc ob rem, apoplexiam peripneumoniamque eum subsequi nonnunquam videmus. Hoc vero si evenit, morbus, ut nonnulli opinantur,

pro prodagra potius, quam rheumatismo, haberi debet. Resolutione saepius, suppuratione rarius, gangraena fere nunquam, finitur; aliquando quidem in schirrum dicitur desinere; sed nullum hujusmodi casum unquam offendi. Si morbus hicce diu duraverit, et aegrotus eo magno opere fuerit debilitatus, prognosis admodum incerta et anceps fit oportet. Contra ea, si idem hominem aetate florentem, caeteris a morbis vacuum, corripuerit, et medicamenta idonea sub initium morbi fuerint adhibita, nihil fere periculi timendum.

RATIO MEDENDI.

Ex supra dictis fati constat, morbum, de quo, hac in dissertatione, agitur, ad genus Phlegmasiarum pertinere. Eo igitur urgente, inusitata totius corporis ad inflammationem proclivitas,

una cum constrictione vasorum partium laborantium spasmodica, quae a nimia totius systematis mobilitate proficiscitur, subest. Hinc consilia sequentia idonea esse iudicamus.

I. Sanguinis, et in toto corpore, et in partibus dolentibus, impetum diminuere.

II. Constrictionem vasorum spasmodicam tollere.

III. Nimiam systematis universi mobilitatem compescere.

I. Quo hoc rite praestetur, sanguinis missio, et diaeta idonea, omnibus aliis remediis longe antecellere videntur. Ineunte itaque morbo, sanguis liberaliter mittendus est. Quo amplior vena fuerit, quoque expeditius sanguis ex eadem effluxerit, eo plus commodi inde capiet aegrotus. Inter omnes medicos convenit, pau-

cas uncias, hoc modo extractas, multo plus, quam quadruplam quantitatem tarde et quasi guttatim effluentem, proficere. Duodecim horis elapsis, si febris et alia signa urgere pergant, ad alteram detractionem confugi potest. Cum regula nulla certa et definita possit tradi, sequentia rite considerata, quoties sanguis quantumque ejus debeat extrahi, aliqua ex parte demonstrabunt: Pulsus arteriarum, gravitas doloris, sexus, temperamentum, vires aegri et plenitudo, usus hujusce evacuationis frequentior, vel rarior. Quanquam missio sanguinis universa in auxilium morbi tam prompta est, et ei inprimis accommodatur; magnopere tamen, ne nimis liberaliter nimisque saepe adhibeatur, cavendum est. Nam, si in usu hujusce evacuationis nimis diu persistetur, mala horrenda oriri consueverunt; debilitas summa, hydrops, rheumatismus chronicus pertinacissimus, &c. Riverius sanguinis detractionem frequenter celebratam laudat; et sic refert: ‘ Hic morbus hoc habet peculiare, ut

‘ ex frequenti venaesectione vires non dejiciantur, sicut in aliis morbis solet contingere.’ Haec observatio Riveriana, meo iudicio, malos effectus edere potest; quoniam e memoria nunquam excidere debet, pulsus arteriarum in morbis febrilibus, ubi vires, sanguinem promoventes, praeter consuetudinem magnae sunt, non facile minus concitatos reddi. Quanquam, in sequelis horum morborum, vis detractionis sanguinis nimiae debilitans, imprimis evidens et manifesta est. Cum tantum sanguinis e venis emissum est, quantum medicus prudens et expertus detrahendum putaret, ad evacuationes loco proprias etiamnum cum commodo potest decurri, quae corpori multo minus, quam missiones sanguinis generales, nocere solent. Si rubor tumorque partium laborantium subsunt, plurimum sanguis ex hoc loco extractus fere semper juvat. Hoc consilio adhibentur hirudines, vel cucurbitulae cruentae.

Medicamenta Cathartica.—Purgatio alvi, ut pote quae systema potenter depleat, primo intuitu, quam maxime convenire videtur; sed, morbo graviter urgente, et universo corpore, ut saepe fit, nihil motus, sine summo cruciatu, tolerare valente, perquam haec medicamenta incommoda sunt, et saepe motu et dolore, quae faciunt, revera nocent. Eodem tempore vero, omnino erit necessarium alvum, quo nihil irritationis a faecibus in recto duratis proficiscatur, modice solutam tenere. Hoc facile praestabunt enemata refrigerantia in alvum immissa. Quinetiam eidem consilio respondebunt sales medii, modica quantitate sumpti, manna, pulpa tamarindorum, cassia, et similia.

Regimen Antiphlogisticum.—Incipiente morbo, curiose diligenterque adhibendum est. Cibus ex regno animali sumptus, qui magis minusve alkalescens et stimulans est, haudquaquam adhibendus. In vicem ejus diaeta vegetabilis substituitur.

stituat. Liquores omnes aromatici, spirituosi, et fermentati, vitandi sunt, et decoctum avenaceum, et talia, tantummodo concedenda.

Refrigerantia.—Haec priori consilio quoque accommodantur. Horum acida utilissima sunt; et reliquis palmam praeripiunt vegetabilia, praesertim fatis diluta, et hoc statu in ventriculum recepta. Nimium sanguinis impetum imminuunt, calorem sitimque compefcunt, alvum emolliunt, et saepe urinam citant.

Sales Medii.—Hi magnas quoque vires refrigerantes habent. Motus cordis arteriarumque abnormes tardiores efficiunt, universum corpus frigidius reddunt, spasmum superficiei tollunt, et lenem diaphoresin movent. Impetu sanguinis per haec remedia diminuto, quaenam consiliis reliquis accommodentur, proximum est ut consideremus.

II. *Constrictionem vasorum spasmodicam tollere.*—Huic sudorem moventia maxime conveniunt. Evacuacionibus supra propositis factis, et per has, et per alia remedia, quorum mentionem fecerimus, diatesi inflammatoria vel ex toto sublata, vel diminuta, sudatio in auxilium rheumatismi promptissima esse reperietur. Medicamentis tamen, quam minime stimulantibus, excitetur, et, dum hoc fit, quam minimum caloris moveatur. Tutissima autem et efficacissima idem praestandi via est, pulverem ipecacuanhae compositum, qui laudibus summis, non sine ratione gravissima, a plerisque medicis, ob utilitatem suam, et in hoc, et in multis aliis morbis, fuerit elatus, adhibere. Sudor quam lenissime semper excitetur. Igitur a dosi pulveris magna non incipiendum est. Decem aut duodecim grana adhibeantur, et omni hora aut circiter iterentur, donec eruperit sudor. Medicamentum, hoc modo datum, raro nauseam affert, et fere semper, praesertim fomentis inferioribus corporis partibus,

bus, relaxandi causa, simul admotis, optandum exitum habet. Sudore excitato, julapii falini ℥i. om. 3^{tia} hora, et haustus diaphoreticus, cum aliquanto tincturae opii, omni nocte data, ad sudorem producendum et dolores levandos conferunt. Hoc modo sudor, in viginti quatuor, vel quadraginta octo, si opus sit, horas conservari potest. Quantum vero hoc spectat, levatione, quam doloribus comparaverit, et viribus aegroti ex toto regi debemus. Medici ut pulverem mane dare incipiamus suadent; quoniam omnes secretiones multo facilius die, quam noctu, dum dormitur, promoventur. Insuper, et aegrotus, et ei ministrantes, noctu, in somnum incidere solent, adeo ut potio ei rite suppeditari nequeat, sine qua sudor pergere non potest. Sudore manante, diluentia omnigena, potissimum ea quae minime stimulant, liberaliter sunt adhibenda. In lecto, cujus stragula lanæ sunt, collocetur aegrotus; namque lintea brevi madescunt, et a corpore, in paucula minuta tantum, disjuncta frigescent;

frigescent; et igitur actionem remedii sudoriferaeque progressum impediunt.

Emetica.—His, me iudice, plena vomitio minime concitanda est, quod agitatio inde oriunda morbum haud dubie graviolem efficeret. Dosis vero, quae nauseam tantum lenissimam faciant, tuto dari possunt. Etenim ita data, diaphoresin movendo, signa fibrilia levant, et alvum solutam plerumque tenent. Omnibus medicamentis, quae tales edunt effectus, antimonium tartarifatum longe anteponendum est.

Antispasmodica.—Hisce omnibus palmam praeripit opium. Sed, vi pyrexiae nondum sublata, caute adhibendum. Potentius efficaciusque agit, vino antimoniali vel ipecacuanhae adjunctum, et ita tuto, et sine metu, dari potest.

Vesicatoria.—In hoc morbo multum profunt, si applicentur, antequam notae fibriles ingravescant.

tunt. Caeterum, cum pyrexia urget, doloresque huc illuc vagantur, parum proficiunt. His dictis, ad

LIIII. Consilium pervenio. Hoc autem est, *nimiam systematis universi mobilitatem compescere.* Quanquam, ut animum ad primum secundumque consilia primum attendamus necesse est, tertium forsitan ad acutum ex toto depellendum, et ad chronico occurrendum, maxime necessarium est. Cum duo priora consilia impleta sunt, morbus statum suum periculosissimum attingisse dici potest; quoniam accessionibus rheumatismi chronici, &c. magnopere favet, cujus exempla quotidiana habemus. Rem ita sese habere, mihi persuasum habens, acutum rheumatismum, ut argumentum hujusce dissertationis inauguralis selegi, consilio praxin, quam in usum non raro revocavi, et saepissime, successu cum prospero, sequelas horrendas rheumatismi acuti praecavendi causa, adhiberi novi, commemorandi.

morandi. Ita sese habet. Postquam satis ad primum secundumque consilia animum attendimus, et tantum sanguinis detractionis et sudationis adhibuimus, quantum, ut signa fibrilia remittant, et dolor magnopere imminuatur, facere potest; aegrotus non vestimenta induat, et lecto superincumbat, vel semet aliter a frigore colligendo defendat. Caeterum, sudatione ad finem perducta, balneum atmosphaera cubi-
culi, in quo postea mansurus est, paucis gradibus frigidius, recta petat. Sese in aquam praecipitem det. Si hoc ingratum sit, quaelibet alia lavandi ratio adhiberi potest, et caput humerique, cum primum, madefaciendi. Statim, cum e balneo emerit, aegrotus accurate exsiccetur, et vestimenta lanea, sed non crassiora, sibi induat. Cubitum, vel non, ut sibi placuerit, eat. Si proclivitas ad sudorem sese ostendat, modice promovendus. Balneum mane unoquoque, in vices novem decemve, adhibendum est. Cum commoda frigidae lavationis, hoc in exemplo,

a viribus ejus tonica et adstringente, et aliquanto forsitan potestatis sedantis in vasa superficiei edito, proficiscantur oporteat, aegrotus in balneo, in spatium duorum triumve minutorum, plus minusve, prout vires, affectus respirationis spasmodici, et status pulsus patientur, contineatur. Haustus vini tepidi et aquae, antequam in balneum descendatur, hisce abnormibus in functionibus vitalibus modo commemoratis occurrendo, proderit. Praeter effectus balnei frigidi supra comprehensos, aequilibrium circuitus sanguinei mutando, et superficiem corporis quoque vicissitudinum aëris cubiculi exiguarum ex toto patientem reddendo, ad hasce morbi redintegrationes, quae rheumatismo chronico toties finiuntur, praecavendas conferre potest. E tempore, quo balneum adhibebitur, cortex Peruvianus et alia tonica proderunt. Hoc modo tertium ultimumque consilium impleri potest.

Me minime latet, pravos balnei frigidi, hoc

in morbo, effectus ab omnibus fere timeri, et revera inde oriri, dictos fuisse. Si vero nobiscum reputetur, balneum frigidum admodum varios, immo, ex toto contrarios, effectus in corpus humanum, pro gradu quem habet frigoris, pro spatio temporis, per quod in eo manetur, et pro modo idem applicandi, edere solere; minime mirandum est, si in hac, aut qualibet alia regione, ubi ad usum ejus, hoc in morbo, raro decurritur, errores in eo applicando admittantur, si monitu cujuslibet adhibetur. Infuper, in hac et omnibus aliis plagis, ubi arthritis aliique morbi rheumatismo similes invalescunt, medici soli usum ejus moderari debent. Si ad id hoc modo rite confugiatur, mihi persuasum habeo, non tantum omnem periculi timorem vanum repertum iri, sed balneum frigidum ad rheumatismum chronicum, ut sequelam acuti, praecavendum magnopere esse collaturum.

Haec rationem corpus frigida, post sudationem
nem

nem in rheumatismo curando adhibitam, lavandi ab Indis Americae Septentrionalis mutuatus sum, apud quos in usu universo est. Hoc quidem non feci, donec multos eorum eo prospere uti iterum iterumque notaveram, qui, propter aetatem, temperamentum, modum cibo animali victitandi, et usum spirituum ardentium frequentem, diathesi inflammatoriae aequae patebant, ac quilibet alii curae meae demandati. Quod quoque mihi in hanc medendi viam procedere persuasit, id fuit videre omnem fere militem consuetudinem Indorum, semet in fluvios immergendis, impune, immo cum commodo manifesto, imitari, cum longis itineribus, vel laboriosis oblectationibus, defatigati et calefacti fuissent. Qui sub initium ratiocinabantur, Indos, a partu usque, consuetudinibus hujuscemodi affuetos, id impune tolerare posse, unde incolae Europae summum caperent detrimentum, ii, ad extremum, observatione ejus salubritatis quotidiana inducti, eandem praxin adhibere incepe-

runt, et corpus, multa fatigatione aliterve ante calefactum, in frigidam immergere, sensum virium corporis vigorisque animi renovatorum gratissimum praeberere constanter reppererunt. Idem saepe feci; et nullum exemplum meum alienumve unquam novi, ubi ulli effectus nocivi inde fuerunt profecti, nisi nimis diu in ea mansum fuisset. Spatium minuti quadrantis cuilibet immersioni hujuscemodi sufficit.

[F I N I S]

